

que eo ☉ circa terram revolvi cogitetur, emergat Tychonica: si- que in hac contrà ex centro Solis per terræ centrum circulus seu orbis describatur, in quo terra cum ☽ motu annuo circa ☉ obambulet fiat Copernicæa.

Et hæ sunt tres insigniores Systematis Mundani descriptiones, secundum 3. Autorum mentem & hypothefes ruditer adumbratæ: sequitur jam, ut de motu etiam ejusque divisione generali, & causarum diversitate paucis aliquid dicamus.

Motus cœlestes Astronomis ad considerandum & mensurandum præcipuè propositi sunt duo: Primus scilicet ac Secundus, seu Communis & Proprius. Hunc singulæ stellæ, in primis erraticæ, peculiarem habent: illum autem omnes simul, quo 24. horarum (diei) spatio primum mobile, ut cum vulgo sic liceat appellare, omnes secum circumducit. Quod itaque motuum istorum rationem attinet, unde oriantur seu dependeant, vel cuiam corpori propriè competant, Artifices inter se dissentientes in 3 præcipuè sectas abeunt: Prima est communissima veterum & recentiorum, Ptolemæi & Tychonis: Altera Copernici & Kepleri: Tertia Origani.

Communiter enim circa terram centri instar immobilem omnes stellas duplici isto motu moveri persuasum habent omnes: sed quomodo id ipsum fiat nondum ipsi certò concluderunt. Veteres quidem, & recentiorum Peripateticorum atque Astronomorum vulgus volunt, quod cum fixis Planetæ, orbibus mutuo amplexu se cingentibus inclusi, ab occasu in ortum, seu in consequentia S. S. S. hi tardius, illi citius moveantur: primum verò mobile, seu extrema mundi Sphæra, quam firmamento instar tunicæ super inductam credunt, superveniens, arietatione quadam propter viciniam & contactum mutuum impulsos orbis singulos abripiat, & celerrimè ab ortu in occasum seu in præcedentia C. S. S. retro agat. Quem duplicem motum declarant exemplo muscæ globo insidentis, quæ licet cum eo in unam plagam revolvatur, ipsa tamen proprio membrorum impetu in alteram repat, & ho-
minis